QUAESTIONES PROVINCIALES.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE IV. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXIV

PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

LUDOVICUS BERTRAND

GENEVENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
HENRICUS BREUSING.
LUDOVICUS WENIGER.
IOHANNES WIRZ.

BONNAE

TYPIS EXPRESSIT PETRUS NEUSSER.

MDCCCLXIV.

FRIDERICO DIEZ

CAROLO MONNARD

SACRUM

INDEX NOTARUM.

Archiv. Archiv für das Studium der neueren Sprachen und Literaturen, Berolini.

B. Bartsch, Provenzalisches Lesebuch, Elberfeldi 1855.

C. Raynouard, Choix des poésies des Troubadours, Parisiis 1817—21. VI vol.

Diez, Gr. Diez, Grammatik der Romanischen Sprachen, editio altera. Bonnae 1856.

Donatz. Hugues Faydit, Donatz proensals — Raymond Vidal, Las Rasos de Trobar, ed. F. Guessard. Parisiis 1858.

Fer. Ferabras, ed. Becker: Abhandlungen der Königl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin. 1826.

G. Ross. Gérard de Rossillon: Chanson de geste ancienne, provençal et français, ed. Francisque Michel. Parisiis 1856.

Leys. Monuments de la littérature romane: Las flors del gay saber estier dichas Las leys d'amors, ed. Gatien-Arnould Parisiis et Tolosae.

L. Rom. Raynouard, Lexique roman. VI vol. Parisiis 1838—1844.

R. Gr. Raynouard, Grammaire romane ou Grammaire de la langue des Troubadours. Parisiis 1816.

Riq. Guiraut Riquier, ed. Pfaff apud Mahn: die Werke der Troubadours, Berolini 1853.

Verborum provincialium coniugationes examinantibus nobis[1]) ante alia tempora unum vel maxime videtur dignum esse quod accuratius investigetur, *conditionale*, sane proprium tempus recentioribus linguis satisque memoriae dignum cum propter significationem tum propter formandi rationem.

Praeterea verborum tempora quibus latina lingua optativi sive conditionalis significationem tribuebat, romanicae gentes habent quattuor. Ita, exempli caussa, apud Italos non modo fossi, sed etiam fora, saria, sarei, saress formae pro antiqua essem, quam non habent, usurpantur.

Provinciales autem duas tantum huius generis formas possident (fora et seria, quae eadem est atque itala saria): quarum alteram vocamus primum conditionale, alteram secundum. Quae conditionalia utrum inter modos verborum an inter tempora sint habenda, inter viros doctos adhuc sub iudice lis est; tamen eam quaestionem, cum ad nostram rem non pertineat, hic neglegamus.

---

[1]) Afferam paucis verbis eas causas, quae ad hanc dissertationem scribendam me incitaverunt. Saepius de conditionalibus temporibus in iis libris, quibus summa tribuitur in Germania auctoritas, sententias inveni, quibuscum non ab omni parte consentire possum. J. Grimmius inter alios, etsi quam bene de his rebus meritus sit me non fugit, nonnunquam tamen mihi videtur romanici sermonis optativum parum clare intellexisse (vide Deutsche Gr. IV. 132). Neque minus grammaticae francogallicae, in primis eae, quae ad usum scholarum scriptae esse dicuntur non eo, quo debuerunt acumine compositae sunt. Itaque conatus sum, quantum fieri potuit, quaestiones nonnullas ad Provincialem grammaticam pertinentes instituere, et nunc eam praecipue mihi sumpsi provinciam ut leges quasdam de verborum flexione exponam; postea fortasse de syntaxi etiam disserere mihi licebit.

I. Quid Grammatici provinciales de conditionalibus tradiderint.

Ex eo tempore quo scriptores Provinciae gallicae qui novam atque splendidam lucem patriae litteris attulerant, omnes fere evanuerant, Musaeque ex terris antea dilectis in Italiam reversae esse videbantur, trium virorum grammaticae exstant, *Vitalis*, *Fayditi*, *Molinieri*.

De primo conditionali apud *Vitalem* mentio facta est nulla; ex iis autem quae scripsit *Fayditus*, difficile est intellectu, quomodo duo conditionalia distinguantur. *Societas tolosana*[2]) denique, cum verborum temporum rationem constituerit, non rationi formarum animum advertisse mihi videtur, sed tantum significationi. Ad quod demonstrandum index qui sequitur (excerptus e *Leys II.* 238—348) sufficiet.

Optativi.

Praesens: Praeterit. imperf.:	ames	amera	amaria
Praeterit. imperf.: Plusquam perfect.:	agues amat	agra amat	auria amat
Futurum:	ame		

[2]) Floruit tum Tolosae, ut patet ex epistola in codice quodam eiusdem urbis reperta, societas poetarum, quorum disputationes institutae sunt fortasse saeculo XIII sive iam XII. Guilelmo Moliniero, qui magnum locum obtinuit inter socios, mandatum est ut ipsius artis poeticae leges litteris exponeret, ita ut ex ipso eo libro normas quasdam atque regulas scribendi auctores sumere possent. Confectum opus anno 1356, probatum ab ordine toto, vulgatum multis exemplaribus. Cuius operis liber primus est de legibus metricis, alter de arte poetica, tertius de octo partibus orationis, quartus de figuris rhetoricis. Magnum auxilium praebuerunt Moliniero auctores latini, in primis Priscianus.

Coniunctivi.

Praesens:	ame		
Praeter. imperf.:	ames	amera	amaria
Praeter. perfect.:	haya amat		
Plusquam perf.:	agues amat	agra amat	auria amat
Futurum:	amarai		

Molinierus eiusque socii et ames et amera et amaria formas idem tempus habuisse apparet: usurpaverunt enim exempli caussa, forma amera modo pro optativi praesenti tempore, modo pro optativi praeterito imperfecto, modo pro coniunctivi praeterito imperfecto. Neque meliorem *Raynouardius* adhibuit rationem. Nihil enim aliud memoravit de amera nisi breviorem formam esse, qua uterentur saepius poetae pro longiore amaria versus componendi caussa. Accedit quod illam poeticam licentiam in aliis coniugationibus, excepta prima, locum non habuisse putat. Sed si re vera maiorem vitae partem in provincialium auctorum studium incubuit, ut affirmatur quidem a discipulis, vix intellegi potest similes aliarum coniugationum formas eum effugisse, praesertim cum et poematum provincialium versionibus et componendo glossario provincialis linguae operam navasset. Neque desunt indicia quaedam ex quibus apparet conditionale de quo agitur in omnibus verborum coniugationibus usurpatum fuisse: invenitur saepissime in iis quos *Raynouardius* edidit libris[3]);

[3]) Quar s'il no fos, ieu non **amerai** mai. (*C.* III. 79.)

Ans sapchatz qu'ieu **amaria**
Mout voluntiers, si podia. (*C.* III. 297.)

Car ieu sabia que res de vostres volers no vos **atendera.** (*C.* V. 161, vide *L. Rom.* I. 394.)

Que s'el mieus vos era ops, ... ieu'l vos faria volontiers E seria vostre cavalliers,
En tot loc on mestier vos fos, Que no i **atendria** somos. (*L. Rom.* I. 99.)

invenitur etiam in ibericis linguis quae provinciali sunt affinitae; etiam is qui antiquissimus fere provincialis linguae grammaticus cuius opera exstant habendus est, omnibus verbis duas optativi formas tribuit, id quod non melius potuit exponere quam exposuit: „In optativo, dicit, „desinunt omnia verba prime (sic) coniugationis in (hac) „syllaba **era** vel in (hac) **ia** finiunt et **duplici modo** „**pronuntiantur in omnibus coniugationibus** generaliter, verbi gratia: volenters amera, volenters „amaria[4]), item dissera vel diria" (vide *Donatz proensals* p. 14, 15).

Pervenimus iam ad *Diezium* qui novissimus grammaticam romanicam tractavit summo acumine. Agit vir doctus in libro suo non solum de provinciali sermone sed omnino de universis romanicis linguis, ita enim ut eas quas communes habent leges accuratissime exponat, eas quibus diversae sunt indicet, quae ratio insit omnibus his rebus explicet. Inexpectatam lucem in totam hanc disciplinam intulit eo quod plerasque romanicarum linguarum leges ex communis omnium matris latinae linguae legibus deducat. Inest igitur toti *Diezi* operi ea ratio quam histo-

M'an si conquis qu'ad autra nom puesc rendre;
Partira m'en si pogues voluntiers. (*C.* III. 217.)

En Richartz... dis e jamais no s'en **partiria** si' l
no ill dava... (*C.* V. 85.)

Car sempre fo sanat e pres Que **disseras** que
ren non es. (*L. Rom.* I. 110.)

S'en sabia Que mal no us fos, ie us o **diria.**
(ibid. 101.)

[4]) Codex, quem sequitur *Guessardius* habet: volunters-amaria, ras vel rias, amera vel ria. Verba corrupta mihi videntur. Neque hoc mirum, nam eo tempore quo scriptus est, formas conditionalis primi non amplius usurpari verisimile est. Codex *Riccardi* melius scribit amera, quam lectionem retinui.

ricam dicere solemus, quae una ut constat apud viros doctos, in grammaticis quaestionibus est adhibenda.

Comparatione partium recentium quae ex latino fonte ortae sunt, instituta, intellexit *Diezius* non unum tantum conditionale tempus esse sed duo. Ostendit etiam quonam modo vel ex priscis fontibus servata sint vel saeculis infimae latinitatis creata. Tamen non hoc sibi proposuit *Diezius* ut in libro suo omnes res quae ad quamcumque linguam romanicam pertineant, ab omni parte tractaret. Praecepta tantum formationis dat; quae sequentibus cura modo materiae totius conligendae relinquitur.

II. De primis conditionalis temporis flexionibus.

Priusquam ad primi conditionalis paradigmata transimus, hoc unum afferamus, quod postea exemplis apparebit, a tertia praeteriti persona plurali tantum exeuntibus litteris differre primum conditionale: agron (habuerunt), agra (ex latino habueram, quae forma paullatim significationem coniunctivi haberem accepit), ameron (amaverunt) amera (amaveram, amarem), venceron, vencera, puniron, punira. Non necesse est ut dicamus utrumque tempus non a Provincialibus ipsis creatum esse sed ex latina lingua ortum atque secundum praecepta quae in plurimis derivatis verbis adhibebantur mutatum. Itaque eandem formationem sive potius eundem derivandi modum habet conditionale quem praeteriti tertia pers. pl. Quaestiones tamen, quomodo illa persona mutata et per temporum spatium tandem constituta sit, ad etymologicam partem pertinent. Nihil igitur nisi formas huius conditionalis afferamus. In prima coniugatione plerumque poetae flexionem adhibent hanc:

amera, ameras, amera, ameram, ameratz, ameran.

Alii autem scriptores atque inter poëtas epici praecipue etiam amara formam usurpant, exempli caussa: atrobara (*L. Rom.* I. 93), levara (ibid. 161). In uno tantum huius coniugationis verbo far ad formandum conditionale tempus aliam, quam infra videbimus, viam sunt ingressi. Inveniuntur tamen fera et fara, quae formae, etsi ut amar flectuntur, non ab optimae aetatis scriptoribus sunt adhibitae; quod quidem de fara certo constat.

In secunda coniugatione, quae sive in er syllabam desinit sive in re, has habemus formas:

vencera, venceras, vencera, venceram, venceratz, venceran.

In tertia coniugatione fere omnium verborum primum conditionale formatur ita:

partira, partiras, partira, partiram, partiratz, partiran.

Monendum tamen est, secundae atque tertiae coniugationis haud pauca esse verba in quibus flectendis alium modum adhibuerunt Provinciales. Magnus enim est in romanicis linguis verborum numerus quorum thema et ipsum mutatur flexione. Horum coniugatio hodie appellari solet fortis sive prisca, aliorum debilis sive recens. Ex monumentis autem litterarum Provincialium quae adhuc exstant octaginta fere fortis coniugationis verba attulit *Diezius*, quorum tamen primi conditionalis formas paucas tantum inveni[5]).

	Tertia pers. pl. praeteriti.	Conditionale primum.
far, faire	feiron	feira[6]) (*L. Rom.* I. 100.)
		fera (*C.* V. 9.)
		fara (*L. Rom.* I. 104.)
vezer	viron	vira (*L. Rom.* I. 145.)

[5]) Eundem ordinem in verbis allatis sequor, quem *Diezius* (v. Gr. p. 200 et ssq.)

ardre	arseron	arsera (*C.* V. 435.)
dire	disseron	dissera (*C.* III. 199.)
	diseron	disera (*L. Rom.* I. 93.)
	diron	dira (*L. Rom.* I. 188.)
remaner / remanre	remanseron	remanseran (*C.* III. 280.)
	remairon	—
metre	meiron	meyra[6]) (*Riq.* 34.)
prendre	preseron	presera (*C.* III. 224.[6])
	preiron	—
	preiseron	—
querer, querre	queseron	quezera (*C.* III. 353.)
	quiseron	—
	queziron (?)	quezira (*C.* III. 224.)
	queiron	queira
sorger	sorseron	(re) sorsera (*C.* V. 435.)
respondre	resposeron	—
	responderon	respondera (*C.* V. 159.)
tanher	taisseron	taissera (*Riq.* 202.)
tendre	teseron	—
	(a) tenderon	(a) tendera (*L. Rom.* I. 394.)
traire	traisseron	(re) traissera (*C.* IV. 164.)
beure	begron	begra (*Donatz.* 16.)
chazer	chazegron	chazegra (*Diez.* II. 203.[7])
caler	calgron	calgra (*L. Rom.* I. 113.)
caber	caubron	caubra (*L. Rom.* I. 344.)

6) Cavendum est ne confundantur feira, meira, queira, prezera formae conditionalis primi verborum far, metre, querre conditionali primo prezera a verbo prezar (v. *C.* III. 124) atque formis feira, meira, queira coniunctivi praesentis verborum ferir, merir, querir.

7) Conditionalia dolgra et chazegra, quae a *Diezio* et a *Raynouardio* afferuntur, mihi non occurerunt. — Progra (*C.* V. 76) pro pogra est lapsui calami tantum tribuendum.

	aperceubron	aperceubra.
colre	colgron	colgra (*Donatz*. 16.)
deber	degron	degra (*Donatz*. 16.)
doler	dolgron	dolgra (*R. Gr.*[7])
sufrir	sufergron (?)	—
	sufriron	sufrira (*C.* III. 197.)
aver	agron	agra (*C.* III. 35.)
movre	mogron	mogra (*Donatz*. 16.)
nozer	nogron	nogra (*Donatz*. 16.)
conoisser	conogron	conogra (*Donatz*. 16.)
pareisser	paregron	paregra (*C.* III. 54.)
paisser	pagron	pagra (*Donatz*. 16.)
plazer	plagron	plagra (*Donatz*. 16.)
poder	pogron	pogra (*L. Rom.* I. 135.[7])
saber	saubron	saubra (*C.* IV. 404.)
	saupron	saupra (*B.* 267.)
sezer	segron	(a) segra (*L. Rom.* I. 437.)
tener	tengron	tengra (*L. Rom.* I. 123.)
tolre	tolgron	tolgra[8]).
valer	valgron	valgra (*L. Rom.* I. 61.)
venir	vengron	vengra (*C.* III. 235.)

De iis quae modo diximus, monenda etiam sunt haec:

Temporis praeteriti tertia pers. pl. varias habet formas. Inveniuntur exempli caussa: [1]] preseron (quae forma saepius occurrit), [2]] preiseron (*C.* V. 89), [3]] preiron (*C.* IV. 233), [4]] preron (*B.* 167), [5]] prenneron (*C.* V. 192), [6]] presdrent (*Passion de J. C.*, vide *Diez. Gr.*). Idem fit in conditionali primo: reperiuntur enim dissera, disera, dira (dicerem). Quae formae mihi videntur variis linguae generibus sive compluribus earum regionum pagis, ubi provinciali lingua utebantur, tribuendae esse. Eo magis dolendum est quod antiquorum scripta desunt; ita enim

[8]) Formam tolgra inveni ipse apud poetam quendam, credo.

factum est ut tenebrae dissolvi non possint. Nihilominus hoc constat non unum tantum flectendi modum fuisse in forti coniugatione sed complures. Nam formae omnes quidem dissera, disera, dira eadem ratione, forti scilicet, sunt flexae, sed hic illius flexionis tres modi fuisse videntur, alio enim formabatur dissera atque presseron, alio disera atque preseron, alio dira atque preiron.

Neque desunt etiam verba quae utramque coniugationem, cum fortem tum levem ad formandum conditionale tempus adhibent ut far (conditionalia sunt enim fera, fara, feira). Idem fit de verbis respondre, atendre, sufrir, creisser; inveniuntur tamen modo atendera, sufrira, creisseron: inusitatae fuerunt, ut puto, formae resposera, atesera, sufrega, cregra. Itaque animadvertimus in omnibus temporibus pleraque verba ingressa esse levem coniugandi viam, multa etiam fortem, nonnulla in aliis temporibus alias adhibent formas, pauca in eodem tempore duas.

Saber habet saubron et saupron (sapuerunt) atque saubra et saupra (saperem). Saubron et saubra videntur mihi praeferenda quia flexa sunt secundum normam. In iis enim verbis quorum tertia pers. sing. erit in litteram tenuem (c, k, p, t), haec tenuis in tertia pers. plur. mutatur in mediam eiusdem ordinis (g, b, d); ita aver (habere), ac (habuit), agron (habuerunt), agra (haberem) — caber (capere), caup, caubron, caubra — etiam prenre (prehendere), pres (loquebantur, ut mihi videtur, quasi scriptum esset press), preseron seu prezeron, presera. Praeterea utraque forma eodem modo usitata fuit apud poetas, ita ut altera alteri, quod in frequentiore usu sit, praeferri non possit.

Superest ut disseramus de anomalis.

Infinit.	Ind. praet.	Cond. primum
esser	foron	fora (*C* III. 12)

viure visqueron visquera (*Diez Gr.* II. 200)
paisser pasqueron? pascra (*Riq.* 54. 33)

Semel invenitur apud *Riquier* (54) pascrab, quae forma est pro pascra ab:

Si sens de saber sazatz
Agues guaire guitz auutz,
Dieus, a dar dos adonatz,
Bos, benestans, bels saubutz,
Nos **pascrab** patz passatz sals.

Pascra forma est sine dubio primi conditionalis temporis; itaque usurpata est sive pro pagra (quod ortum est ex pagron, ita ut pascut pro pagut, cf. quod diximus de forti coniugatione) sive pro pasquera (quod ortum esset ex anomalo pasqueron).

Dicamus etiam pauca de exitu conditionalium formarum. Pleraque flectuntur ita: —a, —as, —a, —am, —atz, —an. Ii tamen ex viris doctis qui *Donati Provincialis* praecepta secuntur pro dormiram dicunt dormirem. Sed ut in aliis temporibus fieri solet, ita praecipue in tertia pers. pl. conditionalis invenitur summa varietas; usurpantur enim omnes fere formationes eae, quibus omnino poterant uti, et an, et on, et un, et en, exempli caussa ameran, ameron, amerun, dormiren.

Tempus conditionale primum easdem saepe et syllabas et litteras habebat atque futurum, ita formae amaras, ameras, amara, amera, amaratz, ameran, amaran, venceras, vencera, venceran, diras, dira, diratz, diran, multae aliae ad utrumque tempus, ut videbimus, pertinent. Adhibebatur praeterea in conditionali flectendo cum fortis tum debilis flexio; verba autem quae secundum fortem coniugationem flectuntur, non unam tantum atque vel maxime usitatam formandi tempora rationem secuntur: alia enim post thema s litteram admit-

tunt, alia **g** litteram, alia nullam; eaque verba, quae litteram **s** accipiunt duos vel tres modos habent in conditionali primo flectendo (vide supra dissera, disera, dira). Tamen apud plerasque gentes, cum eas formas quae contra usitatam normam facta esse videntur, paullatim neglegere soleant homines, sive potius quocunque licebat novas easque rectas formas componere, temporum spatio duarum coniugationum discrimen sensim evanescere coepit.[9]) Itaque apud Italos, exempli gratia, verba applaudire, bevere, cadere, capere, dovere, dolere, alia eandem formationem in omnibus vel in compluribus personis perfecti habent quam verba quae ad recentem coniugationem (ut temere) pertinent. Atque idem factum est etiam in aliis linguis romanicis. Nusquam tamen magis aperte, magis perlucide hoc fieri videtur quam apud Germanos. Affirmat enim *J. Grimmius* dimidiam partem eorum verborum, in quibus etiam saeculo nono mutari solebant stirpis ipsius litterae, hodie aut inusitatam aut secundum recentiorem modum flexam esse. Quae cum ita se habeant factum est etiam apud Provinciales ut primum conditionale iam ad finem eius aetatis, qua maxime florebant litterae provinciales, raro occurrat, nonnumquam etiam falso flectatur. Itaque huius formae paullatim aliud tempus adhiberi solebat, quod facilius formabatur, significationemque habebat non multum a conditionali primo diversam.

---

[9]) Longum fuisset omnia verba conligere, quorum formatio anomala vocari solet (plerumque tamen est prisca flexio), quae tamen secundum recentem i. e. rectam normam apud volgus facta est, vel ea omnia afferre, quae in libris quidem inveniuntur, sed non in communi plebis sermone usurpantur. Apud Francogallicos abundant exempla.

III. De secundo conditionali et futuro temporibus.

Secundum conditionale tempus romanicis linguis omnibus praeter walachicam (dacoromanam) est commune. Quin etiam Itali tres formas habent has: avrei, avria, avress, quarum avria antiqua est atque poetica, avress autem in Mediolanensi tantum pago usurpatur. Secundum conditionale omnium verborum derivatur ab infinitivo praesenti et hanc ob rem summam affinitatem habet futuri, neque hoc formatione solum, sed etiam significatione. Itaque duo tempora una tractemus. Paradigmata sunt haec:

Futurum

amarai,	amaras,	—a,	amarem,	—etz,	—en
vencerai,	—as,	—a,	—em,	—etz,	—en
albirai,	—as,	—a,	—em,	—etz,	—en

Conditionale secundum

amaria,	amarias,	—ia,	amariam,	—iatz,	—ian
venceria,	—ias,	—ia,	—iam,	—iatz,	—ian
albiria,	—ias,	—ia,	—iam,	—iatz,	—ian.

Disseramus etiam de exitu futuri conditionalisque temporum et de variis rationibus flectendi. Valdenses futur. formas habent has: amarei, amares, amare, amaren, amare, amaren. In aliis etiam regionibus prima pers. sing. formam habebat amarei vel amarey, in aliis prima pers. plur. dirum (*C.* II. 140) pro direm. In *Ross.* leguntur non solum veiret (p. 7), sed etiam cairatz[10]) pro veiretz et cairetz; nonnunquam in prima pers. sing. auriei, poiriei (p. 75). Denique ut in primo conditionali Provinciales etiam in secundo multas habent formas tertiae pers. plur. ut amarian, serion (*C.* III. 360), vendriun

[10]) In *Ferabras* inveniuntur quoque exempla quaedam: veyratz (1410), duraratz (1416), escaparatz (1417), auziratz (1430). Quae omnes formae sunt licentiae in grazie della rima.

(*C.* II. 72), aurien (*C.* II. 9). Praeterea alia multa ut avero (*C.* II. 9), faro (ibid. 227), volrio (ibid. 106), quorum omnium mentio hic fieri non potest[11]). Hae formae et similes aliae eo maioris momenti sunt cum ad genera quaedam linguae provincialis cognoscenda atque definienda multum iuvent; quod tamen ad nostram rem non spectat.

Non parvi momenti in his rebus est quod summa fuit apud Provinciales varietas formarum, quibus fere omnibus magna libertate utebantur poetae, neque miraberis igitur quod nonnullis in verbis futurum tempus, etsi simplex per se formatio eius atque in omnibus coniugationibus adhibita est, anomalam tamen videtur habere formationem. Tantae enim formarum divitiae, in infinitivo praesertim, apud alias gentes haud facile invenientur; ea est enim varietas, ut neque stirps verbi neque exitus semper immutabilis et firmus sit. Ita variatur, exempli caussa, exitus verborum querre, querir, querer, seguir, segre, penedir penedre, etc. Raro tamen tantus reperitur infinitivorum numerus quales sunt ii qui ex latino prehendere sunt orti: 1) prendre 2) prenre (*Archiv* XXVI. 189), 3) pendre (apendre, *GRoss.* 118; cf. pestre pro prestre *Fer.* 1212), 4) penre (L. Rom. I. 65), 5) prener, 6) pener (*C.* II. 86), fortasse multi alii. Nihil obstat quominus ex infinitivo quodam nata esse cum futurum, tum conditionale tempora arbitremur. Inveniuntur enim seguirai segrai, —prendrai, prenrai, p̄rendrai, penrai.

Diximus supra, cum de primae coniugationis verbis ageremus, pro primi conditionalis forma amera usurpari etiam amara; simile quid etiam de secundo conditionali contendamus, nam pro amaria et amarai Provinciales etiam ameria et amerai habebant, quae formae e vicinis

---

[11]) Addamus tamen formam prezeria (*L. Rom.* IV. 640).

populis videntur esse traditae. Itali enim futurum habent amerò, Francogalli amerai.

Sequitur index futurorum in verbis secundae atque tertiae coniugationis, quae fortiter flectuntur.

Infinitivus.	Futurum ind.
faire, far	farai (*B.* 95.)
vezer, veire	veirai (*B.* 27.)
	verrai (*L. Rom.* I. Jaufre.)
aucire	aucirai (*B.* 94.)
dire	dirai.
	dizerai (*G. Ross.* 34.)
conduire	conduirai.
fenher	fenherai (*Leys* I. 110.)
remaner	remanrai.
	romandrai (*Fer.* 3464.)
metre	metrai (*B.* 94.)
prendre, prenre..	prendrai.
	prenrai (*Archiv* XXVI. 189.)
	penrai (*L. Rom.* I. 65.)
	pendrai (*C. V.* 390.)
querre (querai)	querrai (*C.* III. 70.)
solver	solverai (*C.* III. 243.)
tanher	tanherai (*Riq.* 195.)
temer	temerai (*B.* 93.)
tendre	(a)tendrai (*Riq.* 49.)
teisser	teyssherai (*Leys* II. 62.)
traire	trairei.
beure	beurai (*G. Ross.* 4.)
caber	cabrai (*Riq.* 75.)
	recebrai (*C.* IV. 240.)
cazer	cairai (*B.* 173.)
caler	calrai.
	caldrai.

creisser	creistrai (*G. Ross.* 208.)
	creisserai (*G. Ross.* 39.)
corer	(se)corrai (*Fer.* 1749.)
deber	devrai,
	deurai (*B.* 23.)
	— deoria (*C.* II. 73.)
doler	dolrai (*Fer.* 1305.)
suffrir	sufrirai (*Riq.* 44.)
aver	aurai, avrai,[12]) — auria, avria
jazer	jairai (*L. Rom.* I. 37.)
jarai	jarrai (*L. Rom.* I, Jaufre.)
merir	merrai.
mover, movre	movrai (*G. Ross.* 32.)
nozer	nozerai (*Riq.* 133.)
pareisser, parer	pareisserai (*G. Ross.* 43.)
	parrai (*L. Rom.* I. 153.)
conoisser	conoira (? *Diez.* Gr. II.)
	conoisserai (*B.* 24.)
plazer	plairai (*C.* III. 421.)
	— plaseria (*Riq.* 43.)
poder	poirai (*B.* 93.)
porai,	porrai (*L. Rom.* I. Jaufre.)
	podrai (*G. Ross.* 178.)
saber	sabrai (*Riq.* 42.)
tener	tenrai.
	tendrai (*B.* 162.)
tolre	tolrai (*L. Rom.* I. 186.)
	toldrai (*G. Ross.* 42.)
	torrai (*C. V.* 194.)
valer	valrai.
	valdrai (*C. V.* 320.)

[12]) Forma avero (C. II. 9) non usurpabatur a trobatoribus.

venir	venrai.
	vendrai (*L. Rom.* IV. 124.)
voler	volrai.
	voldrai (*C.* V. 250.)

Tertia coniugatio.

a) pura

auzir	auzirai (*C.* III 36.)
dormir	dormirai (*G. Ross.* 66.)
eissir	istrai (*Diez. G,* II.)
	eissirai (*L. Rom.* II. 77.)
falhir	falhdrai (*G. Ross.* 112.)
	faldrai (*G. Ross* 78.)
	falldrai (*G. Ross* 53.)
	falhirai (*G. Ross* 49.)
ferir	ferai (*Fer.* 2354.)
suffrir	sufrirai (*Riq.* 44.)
legir	legirai (*Archiv* XXVI. 423.)
mentir	mentrai (*Riq.* 41.)
	mentirai (*G. Ross* 44.)
merir	merrai.
morir	morrai (*C.* III. 251.)
	morirai (*Leys* II. 342.)
querir, querre	querrai (*B.* 46.)
seguir, segre	segrai [18])
	seguirai (*L. Rom.* I. 73.)
sentir	sentirai (*Leys* I. 230.)

b) mixta

garir, guerir	guerrai (*B.* 34.)
	guerirai (*G. Ross.* 34.)
jauzir	jauzirai (*C.* III. 37.)

[18]) segras, segra, segran sunt formae futuri (segre, sequar) atque conditionalis primi (sezer, sederem).

partir	partrai (*C.* III. 234, *Fer.* 3213.)
	partirai (*C.* II. 279.)
plevir	pliurai (? *Diez. Gr.* II. 193.)
	plevirai (*G. Ross.* 47.)
querir	querrai, (querai.)
salhir	salhdrai (*G. Ross.* 215.)
	saudrai (*B̀.* 19. 19.)
servir	servirai (*C.* III. 46.)

Ex iis quae praecedunt de formatione futuri et conditionalis facile discimus has leges:

1) Cum stirps exit in litteram liquidam *(l, m, n, r,)* tum eae litterae quae coniugationem indicant, scilicet **e**, **i**, omittendae sunt, si liquidam praecedit vocalis; ita post **l**: caler, doler, valer, voler, futurum et cond.: calrai, calria pro calerai, caleria; dolrai, dolria pro dolerai, doleria, etc. Accedunt etiam verba falhir atque salhir, fut. et cond.: falhdrai, salhdrai. Post **m** nullum exstat exemplum; post **n**: remaner, tenir, venir, futurum: remanrai, cond.: remanria, etc. Donrai pro donarai, semel tantum occurrit (*L. Rom.* I. 56), quae forma mihi una ex magno illo licentiarum poeticarum numero scriptoribus tam utilium videtur esse; post **r**: corer, parer, querer (=querir,) ferir, merir, morir, garir, futurum et cond. corrai, parrai, querrai, ferrai, merrai, morrai, murrai, garrai; corria, parria, etc. Quod ad syncopen vocalis **i** attinet, in primo conditionali ea adhibetur nunquam, exempli caussa: ferira (*Fer.* 683), garira (*L. Rom.* I. 131), morira (*Riq.* 223). In iis verbis contra quae levem flexionem habent, cum in conditionali primo tum in secundo manent vocales **e**, **i**, etiam post liquidas litteras, ut repayraratz (futurum, *Fer.* 3117), virarai (*C.* III. 7), jurarai (*C.* III. 64).

Ad eundem ordinem futura aliorum verborum pertinent: eorum stirps exit in litteras sive labialem, sive dentalem.

Omittitur **e** post labialem (*b*, *p*, *v*): caber, saber, deber, aver, futurum: cabrai, sabrai, devrai, avrai, cond. cabria, etc.; — post dentalem (*d*, *t*): poder, partir, mentir, fut.: podrai, partrai, mentrai; tamen legitur sentirai; — post sibilantem fit syncope, ut mihi videtur, tantum in exitu eisser sive eissir, exempli caussa creisser, eissir, fut.: creis(t)rai, is(t)rai. — Post gutturalem autem litteram, in primis post **g** omisionis nullum exstat exemplum.

2) Sed cum stirps exit in syllabam **zer** sive **ser** aut **cer** (at non in **eisser**, vide supra), non solum omittitur **e** vocalis sed etiam consonans **z**, vel **s**, vel **c**, quarum litterarum in locum substituitur **i** littera. Hae contractiones, cum in compluribus temporibus adhibeantur, propriae sunt forti flectendi modo, adeo ut notam huius coniugationis efficiant. In infinitivo usitata sunt rozer atque roire, sezer atque seire, etc.[14]) — in tertia pers. plur. praeteriti ind. preseron atque preiron, feseron atque feiron, auciseron atque auciron. Huic rei tribuendus est fortasse maximus ille similium diphtongorum numerus, quae tam frequentes in provinciali lingua inveniuntur: ita a trobator facta est forma trobador, tum a trobador fortasse trobazor (cf. rodere, rozer), a trobazor trobaire; a creator creaire, a pater paire, a mater maire etc. Primum usurpabatur utraque forma, postea sive utraque fuit in usu, ut rozer et roire, sive etiam et una tantum, saepe tamen contracta, ut dire, faire.

Idem contrahendi modus adhibebatur in futuro et in conditionali, ut cairai pro cazerai (a verbo cazer), conoirai pro conozerai, plairai pro plazerai, veirai pro vezerai, jairai pro jazerai. Sed

---

[14]) Accedunt verba quaedam, quae recentem flectendi rationem n praeterito adhibere videntur.

etiam alia verba eadem ratione qua cazer videntur flexa esse, quorum tamen antiqui infinitivi forma in **er** exeuntis vix reperiri potest, nisi in iis verbis, quae ab ipso illo infinitivo sive derivata sunt, sive affinitatem quandam cum illo habent: ut dirai ab infinitivo inusitato dizer, qui, quamquam in libris non invenitur, tamen eo tempore, quo primi provinciales poetae degebant, exstabat; habes enim dizerai in antiquo quodam poemate (*G. Ross.* 34), atque dizens (*L. Rom.* verbum dire), quae formae non a contracto infinitivo dire sed ab integro dizer ortae esse possunt; ita etiam conduirai (cf. aduzer *L. Rom.*); ita trairai (cf. trazens *L. Rom.*); ita poirai (ab infinitivo pozer pro poder ut pozestat pro podestat). Nonnunquam francogallicae futuri forma est similis ut verrai (je verrai), porrai (je pourrai), jarrai, etc.

3. In flexione futuri atque conditionalis secundi inter duas liquidas consonantes omissam esse vocalem e sive i supra exposuimus. Possunt autem illae litterae, propterea quod una cum altera est coniuncta, neque satis clare voce exprimi, neque ab audientibus satis aperte auribus percipi[15]). Quo factum est, ut apud omnes fere gentes, quae eleganti sono linguae studebant studentque, duabus liquidis adderetur muta littera, qua re elocutio verborum ita formatorum multo minus molesta fieri solet. Apud Graecos, ut exempla dicamus, nonnulla erant verba, quae ita augebantur; *Diezius* affert ἀνδρός pro ἀν(έ)ρος[16]); idem occurrit in germanica lingua ut in geflissentlich, bescheidentlich, fähndrich, aliis. Vocabant grammatici medii aevi hanc formandi rationem graeco vocabulo

---

[15]) Vide Becker, Sprachorganism.

[16]) Adde ἄμβροτος (ἀ priv. μροτός, i. e. mortuus); verbum tend(e)re (cf. *TEΝω*) ad hanc formandi rationem non pertinet.

ἐπένθεσιν (vide *Leys d'amors* III, 142). Fieri possunt omnibus mutationibus adhibitis omnino duodecim liquidarum compositiones; apud Provinciales tamen dividuntur muta littera quinque tantum, scilicet hae: **lr, ml, mn, mr, nr.** Duae enim compositiones in medio habent **b,** duae **d,** una **p,** ita ut habeamus **ldr, mbl, mpn, mbr, ndr,** exempli caussa: coldre (pro colre a verbo latino colere), doldre (dolere), toldre (tollere) — semblan (similis, simulans) — columpna (columna), dampnar (damnare), dompna (domina), sompnia (somnium) — membrar (memorare), reembre (reemere, redimere) — divendres (dies Veneris, cf. francogallicum vendredi), mendre (minor), ondrar (honorare), romandre (remanere), *Fer.* 2880, semondre (semonere), etc.

Etiam in coniugatione provinciali adhibebatur illa interpositio mutae inter liquidas duas, sed inveniuntur tantum ldr et ndr, ut caldrai pro calrai, falhdrai, falldrai, faldrai pro falhdrai, pendrai pro penrai, romandrai pro romanrai, salhdrai et saudria pro salhrai, tendrai pro tenrai, toldrai pro tolrai, valdrai pro valrai, vendrai pro venrai, voldrai pro volrai. Videamus tamen provinciales scriptores non eas tantum adhibere formationes, quae interpositam habent litteram mutam, ut fit apud Francogallicos, sed alias etiam usurpare, nulla interposita muta, ita coldre et colre, doldre et dolre, toldre et tolre, vendrai et venrai, etc. Factum est ea re, ut post saeculum XIIum haud raro confundantur formae vendrai (veniam), tendrai (tenebro), pendrai (prehendam), cum formis vendrai (vendam), tendrai (tendam), pendrai (pendam). Tamen hoc fere nunquam factum est apud poetas. Formarum eae enim, quae mutam non habent, in aetate illa qua florebant litterae provinciales, prope inusitatae erant; postea frequentiores etiam occurrunt quam aliae.

Simili ratione alia litterarum compositio **sr** augetur inmixta dentali littera **d** sive **t**; ita duo futura sunt formata in coniugatione verborum creisser atque eissir: creistrai pro creissrai atque creisserai, istrai pro israi vel eissrai atque eissirai.

Tamen etiam eissirai atque creisserai non minus recte formata sunt quam venrai, de quo modo diximus. Exposuimus supra, ea verba, quae in sibilantem **c**, **s** sive **z** exeunt, non solum syncopen adhibere, sed etiam, ut diphthongus formetur, addere vocalem **i**; quam ob rem in paucis tantum verbis dentalis litterae interpositio invenitur, in iis scilicet, quae, si alteram normam sequerentur, haud facile ab aliis distinguerentur formis; ita, exempli caussa, nata esset ex creisser futuri forma creirai, quod simul pertinet ad verbum creire.

4. Idem quod fieri solebat apud Latinos, ut littera quaedam naturae sequentis litterae accomodaretur, quam mutationem grammatici assimilationem vocant, occurrit etiam in linguis romanicis, in primis in italica. Videtur tamen ea assimilatio in provincialium verborum coniugatione fere nunquam adhibita fuisse. Quae quum ita se habeant, eo magis admiratus sum, quum apud *Raynouardium* conditionale torria invenirem pro tolria. Nam si quis contra me formas afferret, quales sunt futura jarrai, porrai, verrai (vide supra 2), illae non assimilatione ortae sunt, sed potius idiotismo, ut ita dicam, pro jairai, poirai, veirai, ita ut etiam preron, feron pro preiron, feiron. Forma igitur torria apud *Raynouardium* sive lapsu calami nata esse videtur, sive ducta est ex sermone italico (cf. togliere, fut. torrò).

5. Denique futura quaedam exstant levi flectendi ratione facta, eiusque flexionis habemus modos duos; ad alterum enim ea verba pertinent, quae, ut venir, caler, alia, vocalem omittunt ante infinitivi **r** litteram, ita remanrai,

beurai, movrai (mourai?), recebrai, metrai, ardrai, tolrai, atendrai: illa enim verba, etsi speciem debilis coniugationis prae se ferunt, tamen flexa sunt fortiter, propterea quod ad infinitivum formandum (praeter debilem etiam) utuntur forti formatione. Ad alterum modum pertinent verba quae in futuro atque in conditionali vocales **e** vel **i** habent: plazerai, pareisserai, fenherai, teyssherai, nozerai, tanherai, conoisserai, solverai, creisserai etc.

6. Quod ad litteram **v** attinet, in ipsa eius natura positum est, ut inter consonantem atque vocalem tanquam medium obtineat locum; ita fuit apud Latinos, ita etiam apud Provinciales[17]). Quam ob rem verbi aver futuri forma aurai dicebatur fortasse avrai; a verbo deber occurrit cum forma devrai tum deurai apud grammaticos recentes.

Verbum plevir habet pliurai.

7. Coniugationem anomalam pauca tantum habent futura. Verbo esser duae sunt formae: altera er ex latino ero nata, cuius tamen prima tantum, atque tertia pers. sing. ut puto, usitatae sunt; altera serai facta de infinitivo quodam ser, ex quo fortasse ortus est coniunctivus sia, ut aia ex aver; unum conditionale modo habemus seria. Anar habet in futuro anarai, plerumque etiam irai ortum ex ir infinitivo fere inusitato apud Provinciales. Sunt postremo addenda plevir atque deber (vide supra 6.)

8. Tertiam coniugationem (in ir) in tria genera distribuit *Diezius*, in puram scilicet, in inchoativam, in mixtam[18]). Proprium est inchoativae coniugationi, quod thema

[17]) Ex greviar (cf. lat. gravis) ortum est greugeron pro grevieron (*Fer.* 1894).

[18]) Diez. Gr. II. 122.

verbi atque exitus temporum quorumdam sc litteris secernuntur; ita verbi florir indicativi praesens est florisc, florisses (florisces), floriscon. Ad hoc genus magna pars eorum verborum, quae in ir syllabam exeunt, est numeranda. Tamen fere triginta verba retinuerunt latinam flectendi rationem, quod in iis nulla post thema additur littera praeter eas, quibus omnino significatur temporis exitus; ita verbi partir praesens ind. est parti: quod genus appellamus puram coniugationem tertiam. Nonnulla denique sunt verba, quae modo ad puram modo ad inchoativam coniugationem sunt numeranda, exempli caussa querir: quam coniugationem vocamus mixtam. Tamen non hoc solum est, quod additis **sc** litteris in tria genera distinguuntur huius coniugationis verba, sed accedit adhuc, quod pura secernitur ab inchoativa. Pura enim coniugatio, etsi non in omnibus rebus cum forti flectendi ratione congruit, unum tamen cum illa commune habet, quod contractiones adhibet atque diphthongi formationes in ipso themate.

Atque rem ita se habere iam paucis demonstrare tentemus.

a) Infinitivus quorumdam verborum, quae formas fortes adhibent, praeter syllabam ultimam er etiam re habent, ut remaner, remanre, vezer, veire. In quibus infinitivis facta est syncope **e** vocalis; quod tamen non fit communiter in iis verbis, quae debilem flexionem habent. In tertia vero coniugatione verba pura cum duplici infinitivo sunt seguir, segre, querir, querre.

b) In indicativi tempore praesenti verba, quae diphthongum habent, ubi simplex erat in infinitivo vocalis, sunt legir (lieg), regir (rieg), guerir (guier), perir (pier), plevir (pliu) culhir (cuelh), servir (sier), gequir (giec) morir (muer), eissir (ieis, ieisson), alia. Nonnulla etiam verba omittunt, id quod in forti flexione fieri solet, litteram thematis ultimam, ut jauzir (jau), servir (sier).

c) in coniunctivi praesenti: querir queira, merir meira, ferir feira, etc.

d) in perfecto tempore verba quaedam flectuntur fortiter: cubrir, ubrir, sufrir...[19]) item

e) in participio praesenti: morir (mort).

f) Nulla tamen maior affinitas occurrit inter tertiam coniugationem puram atque flexionem fortem quam in futuris. Nam fere omnium verborum quae pertinent ad tertiam coniugationem puram futura eadem secuntur praecepta, quae verba fortis flexionis: ita inter duas liquidas litteras infinitivi vocalem **i** omittunt verba ferir, merir, falhir, morir, querir (?), guerir, salhir, (ferrai, merrai, fal(h)drai, morrai, querrai, sal(h)drai); addamus etiam mentir atque partir (mentrai, partrai); interponunt mutam futura salhdrai, falhdrai, istrai. Ea autem futura, quae debili modo flectuntur, qualia sunt auzirai, dormirai, eissirai, falhirai, sufrirai, legirai, mentirai, morirai, seguirai, guerirai, partirai, plevirai, servirai, alia; simile quid vidimus in verbis quae fortem flexionem in praeterito habent, ut nozerai, solverai, temerai; simile quid in praeterito ipso occurrit (cf. atenderon atque ateseron, responderon atque resposeron). Igitur

---

[19]) Verbum eissir, issir (exire) formas habet et quae ad fortem flexionem, et quae ad puram coniugationem tertiam et quae ad inchoativam pertinere videntur. Est enim praesens ind.: ieis, iesson (*L. Rom.* I. 183), eisson (ibid. 108) — praeteritum: isseron (*B.* 159), eissiron (*C.* V. 193) — futurum istrai, eissirai — praesens coniunctivi iesca, isca (*B.* 137) iscam (*Fer.* 2829) — participium issit (*L. Rom.* I. 179).) Ad fortem coniugationem pertinent formae isseron (cf. dire, disseron), istrai (cf. creisser, creistrai), isca, iscam (cf. creisser, cresca) — ad puram ieis, iesson (cf. ferir, fier), istrai (cf. salhir, salhdrai) — ad inchoativam essiron, iesca (cf. florisca), issit.

formae auzirai, dormirai, etc. etsi ad fortem flectendi rationem pertinent verba, tamen debiliter flectuntur.

Maximi momenti est, credo, quod verba purae coniugationis tertiae atque verba fortis eadem ratione futurum tempus et conditionale fingunt. Sine dubio illa propinquitas orta est eo, quod nonnulla verba pura in aliis temporibus similes habebant contractiones ut verba fortiter flexa.

IV. De futuro diviso.

Reliquum est ut de singulari quodam formandi modo iam agamus, quem in futuro usurpabant Provinciales. Apud poetas enim aliosque veteres Provinciae scriptores in futuro tempore thema et exitus pronomine quodam possunt separari. Qua ex re futuri et secundi conditionalis formae quo modo ortae sint melius etiam intellegere licet. Neglectis autem iis omnibus, quae ad etymologiam pertinent, praecepta tantum divisionis, quam diximus, paucis exponamus. Exempla rei inveni haec:

in prima pers. sing.:

pregar vos ai (*R. Gr.* 221) — partir m'ai (*C.* III. 150) — assajar m'ai (*C.* II. 247) — donar lo t'ay (*C.* IV. 288; scripsit Raynouardius false donar l'o t'ay) — dir vos ey (*C.* III. 166) — dir vos ai (*C.* II. 294, *L. Rom.* I. 169, ibid. 405, *Archiv* XXVI. 51, *Riq.* 104, 111, 134, 139, 227) — Far l'ai ieu? hoc (*C.* V.) — far l'ai (*C.* II. 166) — lauzar l'ai (*C.* III. 305) — repausar m'ai (*L. Rom.* I. 17) — contar vos ai (ibid. 63, 106, 127) — deslivrar vos ai (ibid. 68) — adur lo us ai (ibid. 83) — enviar l'ai (ibid. 105) — tornar m'en ai (ibid. 107) — dar la us ai (ibid. 127) — pregar l'en ai (ibid. 130) — donar l'ai (ibid. 155) — dar vos n'ai (ibid. 159, *Las Rasos* 73) — far lor ai (*L. Rom.* I. 325) — portar l'ai (*B.* 26) — saludar l'ai (ibid.)

far t'ai (ibid. 34) — **breujar vos hai** (ibid. 37) — **far m'ai nomnar** (ibid. 85) — **prejar l'ai** (*Riq.* 7) — **dir vo n'ai** (ibid. 172) — **dezir n'ai** (*B.* 26).

in secunda pers. sing.:

laisar m'as (*L. Rom.* I. 82) — **comtar l'as** (*B.* 55).

in tertia pers. sing.:

aucir m'a (*C.* III. 10) — **alberguar m'a** (ibid. 98) — **menar l'a** (*L. Rom.* I. 68) — **creysser l'a** (*Riq.* 78) — **falhir m'a** (*Leys.* I. 220).

in prima pers. plur.:

Seiner nos irem ab vos e ajudar vos em (*L. Rom.* I. 162) — **E trobar l'em oltra mar ses falhensa** (*L. Rom.* verbum **aver**).

in secunda pers. plur.:

E creysser n'etz d'afans (*Riq.* 147) — **Ben revenir o l'etz** (ibid. 207).

in tertia pers. plur.:

tornar l'an (*R. Gr.* 221) — **aucir m'an** (*C.* II. 267) — **nomnar vos an** (*B.* 152).

Videmus igitur 1) stirpem ab exitu tantum pronominis personalis casu obliquo separari posse, 2) una cum **mi**, **ti**, **nos**, **vos**, **lo**, **la**, etiam pronomen **en** nonnunquam interponi, coniunctum tamen plerumque cum aliquo ex pronominibus **mi**, **ti**, **nos**, **vos**, **lo**, **la**.

Ex iis, quae modo attulimus exemplis videmus etiam futuri formas separari posse in partes duas; quarum formarum in tribus personis singularis numeri et in tertia pluralis per se utramque habere suam significationem, atque in exitu quidem verbi auxiliarii **aver** formas praesentis immutatas praebere. Hac re factum est, ut illae formae apud Provinciales saepissime occurrant. In caeteris autem duabus personis, scilicet in prima et secunda pluralis, verbi **aver** formae non amplius sunt agnoscendae. Exitus enim **em** atque **etz** verbi **aver** formae non sunt. Idem

fieri in francogallica lingua nemo ignorat. Duae illae personae pluralis, quas modo memoravimus, ob eam rem non tam usitatae fuerunt quam prima pers. sing. Atque ubi inveniuntur, a grammaticis diverse explicantur. Rem illustremus uno tantum exemplo.

In poemate, quod inscribitur „Ensenhamen de la donzela d'En Amanieu des Escas", legit *Raynouardius* E metr'er l'etz en basca. Mihi videtur *Raynouardius* formam metre habuisse pro futuro metretz (ut apud Valdenses) et etz pro neis (i. e. ipse, in hoc loco ipsa vel ipsum). Sed metre forma hic futurum esse non potest. Fortasse voluit *Raynouardius* E metr 'er l'etz en... simile esse futuro simplici E metretz l'en; sed, ut supra vidimus, inter stirpem atque exitum pronomen personale quidem, non adverbiale interponi potest. *Bartschius* explicat: E metre letz en basca (*B.* 143. 72) atque dicit: „Die handschriftliche lesart metre [r] letz liesse sich leicht „in metre-l letz umändern: ihr dürft es in untersuchung „ziehen; vielleicht indess ist gar nicht licet gemeint, sondern zu schreiben: metre l'etz als umschriebenes futurum; ich leite alsdann etz nicht von esser ab, sondern „nehme es für die spanische nebenform heis (von haber), „denn wie sp. amais einem prov. amatz entspricht, so „stimmt (h)etz zu heis" (vide *B.* 241). Illius opinioni autem haec resistunt: 1) In E metre letz" deest verbo metre res obiecta(lo) 2) verbum lecer non videtur aptum esse loco de quo agitur, 3) etz verbi aver provincialis neque iberica[20]) forma est.

---

[20]) La Real academia española dicit enim in grammatica sua (vide Part. I. p. 137):

„Adviértase tambien, que el futuro de indicativo, y la segunda „terminacion del pretérito imperfecto de subjuntivo, que hoy son „tiempos simples, se usáron en lo antiguo como compuestos, como „se vé en varios lugares de nuestras leyes, crónicas y escrituras

Superesset ut disseramus etiam de regionibus et de tempore quo futurum divisum usurparetur, nisi deessent litterarum provincialium monumenta antiquissimae aetatis et fere omnium Provinciae pagorum. Observationes quasdam tantum generatim atque summatim exponere liceat. Futurum divisum non erat ubique pari modo in usu. In poemate enim epico, quod *Jaufre* inscriptum est atque plus decem milia versuum habet, occurrunt fere viginti futuri divisi exempla. In *Ferabras* contra, quod poema continet plus quinque milia versuum, nullum est; neque ullum etiam reperitur in litterarum Valdensium monumentis quae exstant. Itali atque Francogalli fortasse nunquam in ipsis suis linguis illud futurum usurpabant. Sed ea res

„antiguas. En las leyes de las Partidas se lee: Lo que oistes „en poridad, predicarlo hedes sobre los tejados. En la „Crónica General: Mientra que yo pueda, facerlo he así. „En un privilegio de D. Fernando IV.: É yo librarlo he, como „tuviese por bien. En el segundo y tercero: facerlo he y „librarlo he, es lo mismo que decir: lo haré y lo libraré: „y de todos tres se infiere la composicion del futuro imperfecto „con el verbo personal, y el auxiliar haber.

„Del mismo modo se usaba en lo antiguo como compuesto el „pretérito imperfecto de subjuntivo en su segunda terminacion ria, „quando despues del infinitivo del verbo personal seguia in„mediatamente pronombre: y asi era cláusula final y comun en Pri„vilegios y escrituras: pecharme hia, pecharmeia, por me „pecharía. En un Privilegio del Rey D. Alonso el Sabio se „lee: E defendemos que ninguno no sea osado de ir con„tra este privilegio para quebrantarlo, ni para men„guarlo en ninguna cosa, ca qualquier que lo ficiese „abrie nuestra ira, é **pecharnosié** en coto diez mil ma„ravedis.... Y á cada paso se leen en las Crónicas: tornar„sehía, facerleia, pesarnosya, por: se tornaría, le haría, „nos pesaría....: V. g. en la Crónica general: Si Ruy Velaz„quez fuese para Córdobo, **tornarseia**... moro.“

His exemplis apparet neque hé in „futuro imperfecto“ neque hía vel ía in „praetérito imperfecto de subjuntivo“ formas esse verbi haber. Exitus enim hía nullam habet per se significationem.

non constat. Id tamen certum est, quod adhuc ad nostram aetatem nullum exemplum repertum est (vide: *Blanc*, italienische Grammatik).

Quae res praeter multa alia argumenta demonstrare mihi videtur illud *Ferabras* poema non provinciali lingua sed francogallica initio compositum esse. Linguis valdensi atque italicae praeter plurima alia id commune est, quod utraque saepe principium verbi omittit (cf. s c u r a s, ex latino o b s c u r u s), s c o u t a v a n, alia; quae utrum divisio futuri in sermone provinciali semper locum habuerit, an ex Iberia vel Catalonia trans Pyrenaeos montes sit importata, non clarum est. Usurpata sane fuit in quibusdam pagis usque ad XIV^um saeculum.

Non mihi contigit, ut conditionalis secundi temporis formam divisam invenirem; occurrit autem illa forma (vide p. 48) apud antiquissimos Iberiae et Lusitaniae poetas.

LUDOVICUS BERTRAND DE VITA SUA.

Natus sum Carugii in oppido prope Genevam sito a. h. saeculi XL a. d. XI Kal. Iunias parentibus Iohanne et Maria e gente Bouchet. Fidei addictus sum catholicae. Elementis litterarum instructus gymnasium genevense frequentavi, deinde scholis academicis per duo semestria interfui. Anno LXII Bonnam migravi et per biennium prodocentes audivi professores clarissimos Delium, Diezium, Iahnium, Monnardium, Plueckerum, Knoodtium, quibus omnibus et benevolentiae et meritorum caussa gratias semper agam quam maximas.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. *Verba, quae dicit poeta provincialis Arnaldo Daniele apud Dantium Purg. XXVI. 140—147 non omnia Provincialium linguae sunt.*

II. *Pro feiri'eu in Raynouardi Choix V. 351 legendum est feir'ieu.*

III. *Verborum formae quae conditionalia vocantur non inter modos sed inter tempora numerandae sunt.*

IV. *Lingua francogallica hodie minus apta est ad discernendas varias orationis partes atque grammaticae formas quam ante aliquot saecula.*

V. *In lexicis magis, quam fieri solet, etymologia verborum curanda est.*

VI. *Magister bonus neque nascitur quis neque studio fit sed et nascitur et fit studio.*

